

www.e-rara.ch

Matthiae Untzeri ... physiologia salis seu, de salis natura eiusque prima origine, differentiis, proprietate atque usu. Commentatio philosopho-medica ...

Untzer, Matthias

[Halle], 1625

Stiftung der Werke von C.G.Jung, Zürich

Shelf Mark: Online

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-7662>

Caput XVIII. De sale nitro.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

conficiendi modus talis est: Calcis vivæ libris 4. Aluminis Hispan. lib. 2. Vitrioli lib. 2. Salis libris 3. benè tufis adfunde Vinum album, & benè agitando fiat lixivium, quod in digestionem per novem dies stare permittetur. Postea sume Styras Salis petra libras decem. Adfunde huius lixivij tantum, ut operiatur Sal, in Ahen. Misce benè & solve, Coque ad medias. Tandem cola, & Salem in Alumine in fundo Aheni invenies. Aquam diligenter colatam sine refrigerescere, & in quiete coagulari, lixivium effunde, Salemq; sicca, qui est Verum Anatron, quo Metallici interdum ad purgationem fusionemq; Metallorum utuntur.

CAPUT XVIII. De Sale Nitro.



NITRUM, quod & Nora, Sago, Baurach, Algali, Sanguinea, Sal Anderona vel Alexandrinum, Anaton, Amatron, Cabalatur, &c. Chymicis dicitur, est res cognata Sali, vel potius species quedam Salis, ex humore coagulato concrescientis. Qualia autem olim fuere Nitra, exactè jam non novimus, & diversa sunt omnino illa nostra, hodiè jam prostantia. Nam olim Nitrorum usus fuit in cibis, vinaq; illis condiebantur, seminaq; imbuebantur, ut videre est apud Plinium lib. 14. cap. 20. & lib. 18. cap. 17. Sic & Virgilius lib. 1. Georg. inquit:

Semina vidi equidem multos medicare serentes
Et Nitro prius & nigra perfundere Amurcâ.

Præterea Nitra olim, ut patet ex Dioscorid. lib. 5. cap. 30. erant rosei coloris, gustu amara, levia, in foramina dehiscentia & spongiosa. Nostra verò Nitra hiscē necquidquam respondent, nedum quod illa apud veteres terrestria fuere, nostra verò acria sunt.

Nitrum
duplex Na-
tivum,

Duplex autem est Nitrum, Nativum & Fastitium. Nativum est, quod suā naturā concretum, nullo accedente, artificio, vel in terrā reperitur, vel in fluminibus, lacubus at fontibus, quarum summitas in Nitrum densatur, colligitur. In terrā caditur aliorum fossilium more, estq; durum & spissum lapidi simile; aut foditur ē speluncis, ex quarum cameris vel pendens, Si iriarum instar concrevit, vel excidens, liquidum adhuc in terram defertur. Estq; hoc genus Nitri sextuplum. 1. Armenum ab Armeniā, in qua generatur, optimumq; habetur. 2. Abrabath album vel nigrum. 3. Africanum. 4. Romanum. 5. Egyptiacum. 6. Babylonicum. Arabes tantū primam & sextam speciem celebrare. Effodi quin etiam in Asiā Nitrum, patriamq; habere Philadelphiam Lydiæ, & Magnesium Caria tradit Agricola lib. 3. de Fossil. cap. 9. Quā de re Galienus Imp. cum Asiā Scytharum incursionibus vastatam esse litteris accepisset, joco quasi dixisse fertur. Quid! sine aphronitris esse non possumus? Sed & extrā terram Nitrum in lacubus quibusdam & fluminibus reperitur. Cum enim aqua Nili, aut fontis ac lacus, ut docet Fuchsius lib. 1. de compos. medic. cap. 17. diu in convalle steterit, salsuginosa & nitrosa tandem evadit, quamdam ad se substantiam ex profundo, & salsam materiam evocans, quæ postea Salis instar, calore Solis concrevit, duriorq; ipso Sale redditur. Lacus etiam Macedonia introrsus, qui est in agro Letæo, circa canis ortum gignit Nitrum, quod

veteres Scriptores Chalastram vocant, ab oppido Chalastra. Verum nostro tempore, illa Veterum species Nitri nativi prorsus ignoratur, cognita tantum altero, Factitio scilicet, de quo vide Plinium lib. 31. cap. 10. Materia vero ex qua Nitrum hoc factitium conficitur, varia existit.

Factitium
Ex qua ma-
teria præ-
paratur.

1. Aquæ Nili, in Ægypto, in Nitrarias infusa. Hæ existere dicuntur ad Naucratim, Nitriam ac Memphim.

2. Deinde est terra pinguis, maxime urinæ humanæ, ovillæ, aliæque animalium acri perfusa. Urinæ siquidem nihil sunt aliud, quam separatio superflua Salis Vegetabilium, à quibus animalia nutriuntur ac vivunt.

3. Calx murorum veterum, hæc enim in iis, cum per se sit nitrosa, anisorum spatio etiam fecundatur, & veluti impregnatur Sale, adeo ut lapides quoque corrodant, & efflorescat sal silago.

4. Lutum antiquorum Parietum, ex terrâ vel loco aliâs naturaliter Nitroso erutum, & in muros translutum. Itaque qui Nitrum parant, stabulorum ovillorum pavimenta sicca fodiunt, & lutum maxime citrinum, aut rubrum seu puniceum querunt, adduntque Calcem & cineres faginos. Item veteres muros radunt & rudera vetusta colligunt, potissimum si pluvii & urinæ diu fuerint perfusa, vaporque cellarum eo penetraverit.

5. Quinquennales exhaustarum materiarum acervi, qui solent ab Halonitrariis in locâ secretâ convelli, ibique sub tecto, admissio mediocriter Sole & pluvii detineri, ut ex semine interiore novum Nitrum concipiatur, & terra semel exhausta denuo impregnatur, ut supra quoque cap. 4. docuimus.

6. Loca etiam, in quæ urina humana crebro effusa est, &

quâ destillatores aquarum fortium, sua Capita mortua (ut loquuntur) & elutiones: item quâ aurifabri aquas mortificatas projecerunt, utilem præbent materiam Nitri generandi, modò ea sint terrea.

7. Quin Fimus columbinus & anserinus, præclaram quoque materiam Nitri præbere potest, hocq; genus Nitri evadere optimum, ceterisq; omnibus præstare Quercetanus tradidit cap. 3. libri de Præf. medic.

Modo con-
ficiendi
Nitrum ex
Terra.

Hodiè tamen in nostris regionibus communiter Nitrum ex terrâ convenienti sub die positâ, excoquitur, in hunc ferè modum: Terra Nitrosa, aquâ multâ diluitur & coquitur, deindè ad purum colatur. Colatura si non satis dives Halinitro est, denuò adponitur materijs, & iterum, cocta factò sedimento per lacinas transfertur in vas purum, ibiq; coquitur ad justam consistentiam. Decoctum infertur in cellam, digestum per dolia vel alveolos, Crystalli congelati eximuntur, residuus liquor recoquitur ad medias vel tertias, donec gustu sit acris, & gutta super aramento concrecant, indè iterum expectandi Crystalli, & sic pergendum, donec totum coagulaverit.

Al. modus.

Vel: Eligitar terra Nitrosa conveniens, ex quâ superaffusâ aquâ calidâ, iteratisq; vicibus filtratâ seu transcolatâ, fit lixivium, sic enim salsugò ex terrâ extrahitur. De quo lixivio, si due tertie aut circiter, ad ignem exhalentur, & reliquum refrigerat, Sal condensatur in glaciem, quod est Sal Nitri in Sole exsiccandum. Andreas Baccius lib. 5. de Thermis cap. 7. his Verbis Nitri confectiõnem, describit: Fit hodiè Nitrum ex acerrimo lixivio, quod excolatur ex fimo, stercoreq; antiquo vel putri, è cameteriorum

mater. e

materie terrisq; simul studio quodam computrefactis, adfusâ pluries in tinis ligneis eadem aquâ. Coquitur hoc lixivium in magnis caldariis, fitq; Sal nitrum &c.

Hic Sal, si non satis purgatus, & Crystalli instar pelucidus fuerit, ad usum Medicinâ hâc modo præparatur. Sal Nitrum solve aquâ communi, vel, quod melius, aquâ Rosaceâ, solutionem hanc traice per chartam Emporeticam, ut clara evadat, & ab omnibus sordibus expurgetur, deinde vase vitreato decoque, crebroq; despuma, antequam coaguletur. Exsiccatum tere & rigillo mundo impone, ut inter prunas accensas sensim liquefieri possit. Liquata libræ uni injice Florum Sulphuris unciam unam, non quidem simul unâ vice, sed pluribus, donec Sulphur deflagraverit, flammam tamen vitando, quia nimis Visum dispergit, prætereâq; odor Pectori nonnihil adversatur. Hæc Nitri solutio, filtratio, despumatio & coagulatio, si semel adhuc vel bis ad summum repetatur, sufficienter præparatum erit. Si tamen Sal nitri tenes purum, sæpèq; antea à Nitrariis defecatum, non opus est ullâ Sulphuris injectione, ejusq; super illum deflagratione, quia à multis istis repetitionibus tot operationum, non potest non aliquid essentialium Virium perire, ablatâ præfertim omni ejus acrimoniâ, in quâ tamen potissima ejus vis penetrativa consistit, quâ velut clave aperit non solum meatus corporis humani occlusos, sed etiam alia corpora durissima solidissimaq; tam lapides, quàm metalla, ipsumq; adeo Aurum & Argentum redigit in liquorem, cum aquâ propriâ extractâ.

Nitrum itaque hoc modo præparatum & depuratum, à Medicis & Chymicis, lapis Prunellæ dicitur, ob id

Lapidis
Prunellæ
præparatio.

Lapidis
Prunellæ
Vires & usus
in Medicina.

1. nimirum, Quod 1. Angina, Prunella vulgò dicta aliarumq; vicinarum partium inflammationibus, ut Peripneumonia & Pleuritidi, præsentissimè medeatur.
2. Quin etiam summum refrigerium adfert, Febre Causòde ac malignâ nimium aestuantibus, quibus & Sitim immoderatam exstinguit.
3. Infrò datum, promouet urinam remorata, Hydropicorum aquas educit, Calculosq; & arenulas è Renibus pellit & exturbat.
4. In referendis obstructionibus Epatis & mesarai, ut & sanguine grumoso seu coagulato dissolvendo, iuvamentum præstat egregium.
5. Datur ad crassos humores incidendos ac detergendos.
6. Misceatur quibusdam Cathartick, partim majoris stimuli ergò, partim correctivi loco, ad insignem eorum caliditatem atq; acrimoniam obtundendam, quemadmodum in Gummi de Peru videmus, quod sæpè ingentem pruritum & calorem in ano excitare solet, nisi additione aliquot granorum huius Salis, mordacitas illi temperetur aut corrigatur.
7. Sanat combustiones ab igne factas, si dissolutum in aq. com. parti adfectæ cum linteis adplicetur. Plures utilitates Nitri congeffit Bernh. à Portu in suo libel. de Chymicis medicam. quem adeat, qui volet. Notandum hic obiter: Si cui lubet, potest huic lapidi Prunellæ addi Tinctura vel Rosar. vel Violar. vel Santali aut florum Tunicarum, quæ solutæ certis aquis, committantur purissimo Sali trito, ita ut unâ coalescant inter congelandum, planè eo modo, quo Sacharum Crystallinum tingi solet. Caterùm extrâ Artem Medicam. Nitri Salis maximus & insignis quoque usus est ad varia.

Nam

Nam 1. is ad confectionem Pulveris pyrij seu nitrati potissimum expetitur. A Nitro enim tota huius Pulveris vis dependet, cui quidem Sulphur hoc dat, ut sit $\epsilon\upsilon\phi\lambda\epsilon\iota\tau\omicron\varsigma$, quia tamen Sulphur successivè tantum $\epsilon\varsigma$ per partes deflagrat: Nitrum verò postquam semel flammam concepit, subito totum cum impetu accenditur, $\epsilon\varsigma$ quia inflammatum, quo prius concludebatur loco, capi nequit, ac præterea Nitrum $\epsilon\varsigma$ Sulphur hostes quasi sunt, idcirco fulminei istius impetus causa existit.

2. Adhibetur ad fundendas Venas, $\epsilon\varsigma$ purganda colligandaq; metalla in docimasticâ $\epsilon\varsigma$ aurifabricâ.

3. Aquarum fortium seu causticarum $\epsilon\varsigma$ Gradatoriarum, $\epsilon\varsigma$ medicaminum incendiiorum præbet materiam.

4. Ad parandum Crocum Metallorum, nec non fixationem Arsenici adhibetur.

5. Hoc Sale quoque calcinari potest Talcum, Tartarum $\epsilon\varsigma$ alia huiusmodi.

6. Nitrum injectum in fluxu super Cuprum argentatum, cuprum totum consumit, relicto Argento intacto.

7. Fullones Nitro, soluto in lixivio, maculas vestium eluunt, $\epsilon\varsigma$ infectores cum eodem in aquâ coquunt lanas, ut sorbeant colores.

Porrò ex Nitro Chymici eliciunt Spiritum calidissimum $\epsilon\varsigma$ ardentiss. seu maximè inflammabilem, qui eodem modo, quo Spiritus Salis ac Tartari destillatur, admistis scil. parti uni Salis Nitri, 3. partibus argillæ figulinæ, ex quibus formantur globuli, post exsiccationem demùm ad opus adhibendi. Cujus Spiritus usus est in Colicâ, quod nemini mirum videatur, siquidè in simili adfectu, crudo Nitro quidâ utuntur.

Nitri usus
extrâ ar-
tem Medica-
m.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

Spiritus
Nitri.

Nam

Nam Spiritus Salis microcosmici effervescentia ac malignitas ex huius debito usu mirè inhibetur & reprimuntur. Exteriùs tamen in Colicâ, ut monet Crollius in Basilicâ, simul umbilicus inungendus Oleo Nucis moschatae per expressionem, cui grana pauca Zibethi addantur, videbis acutiss. dolores intestinorum confestim indè sedari,

Fixatio
Nitri.

Potest tandem & Nitrum ita fixum reddi, ut instar Cerae sine fumo in igne fluat, idq. Spiritu Urinae, quò perfundendum, indèq. iterum destillandum ut ultimò igne aucto fluat. Hic autem labor, quinquies ad minimum reiterari debet, semper novum Spiritum addendo. Alii pro Spiritu urinae (si is haberi nequeat) substituunt Spiritum Sulphuris, idemq. moluntur. Nonnulli Nitro subtiliter trito addunt ac permiscunt albumen Ovi, ut fiat instar Pultis. Hanc pulvem inditam Olla nova, ad ignem collocant & exsiccant, ultimò ignem fortificant, quousque Nitrum fusile fiat, Liquatum effundunt in patellam calefactam, sicq. Nitrum fixum obtinent, quod metalla malleabilia reddit.

Partes Nitrum di-
versas in se
habet.

Antequàm tamen hoc Caput concludimus, ex doctrinâ Queretani notandum: Nitrum duas partes Volatiles in se complecti, Sulphuream alteram, alteram Mercurialem. Pars Sulphurea est ejus animi, vel ignis aethereus, qui non calidus & siccus est, aut consumens omnia, ut ignis Elementaris, sed ignis quidam celestis, humor aëreus calidus & humidus, & talis quidem, qualem ferè cernere licet in aquâ vitæ, ignis inquàm contemperatus & vivificus, seu verum nectâr vitæ, qui si deficiat in aliquo, ilicò mors consequitur. Mercurialis verò pars est ejus Spiritus, qui quidem est de natura aëreâ sed tamen flammam concipere haut possit,

sed

sed huic potius contrarius. Hic Spiritus, qualitate sua non est calidus, sed potius frigidus, ut testatur ejus aciditas, quæ aciditas ac frigiditas mira prorsus existit, & longè diversa ab Elementari, quippè quæ dissolvere possit corpora & coagulare Spiritus. Præterea Nitrum duplex quoque in se continet Sal; Unum fixum ac constans, alterum volatile, quod posterius iterum duplex: Aliud Sulphureum, facilius flammam concipiens; aliud Mercuriale, aqueum, & acidum, de naturâ Salis Ammoniaci participans. Verum de Nitro hæc dicta sufficiant, transeundum nunc ad Alumen.

CAPUT XIX. De Alumine.



ALUMEN, Plinio lib. 36. cap. 15. nihil est aliud, nisi sulfugo terra, seu Sal quoddam, quod è terris excoquitur. Dioscorides, tria ejus facit genera: Liquidum, rotundum, & scissile. Nos omne Alumen distinguimus vel in Liquidum, vel Concretum. Liquidi duo sunt genera, quorum alterum purum est, candidum, limpidum, & coloris quasi lactei, lapidosum & ignem olens, id quia propter puritatem in primis utile est, Πορρω Græci nominant: Alterum est impurum, flavum, cinereum, pallidum vel scabrum, quod quia sordibus inquinatum est, & Πορρω adpellant; quale est liquidum luteum ex Ilvâ, insulâ maris Hetrurij, quod tractatum manibus ita mollescit, ut ferè fluat. Item, aliud nativum flavum liquidum

Alumen
duplex.

L

instar